

« decimo autem die ideo voluit ingredi, quia ita
« erat presignatum in lege, ubi præcipitur: *De-*
« *cima die mensis hujus tollat unusquisque agnum.* »
« etc. Hic igitur Agnus conformiter ad legem tem-
« pore debito voluit presentari, et quia victimas
« antiquitas frondibus et floribus coronare, easque
« malis lætitiæ demonstrationibus comitari solebant,
« ideo disposuit ut tanta cum festivitate et applausu
« cum ranis et frondibus exciperetur, etc. *Proposito*
« *sibi gaudio*, inquit Apostolus, *Heb., xii, 2, sustinuit*
« *crucem.* Et S. Anselmus ait: « Decima die mensis
« primi agnus, quem in pascha immolarent, do-
« mum introduci jussus est, quia Dominus decima
« die ejusdem mensis, hoc est, ante quinque dies
« Paschæ in civitatem, in qua pateretur, erat in-
« gressurus. »

3. — Jansenius alias reddit rationes cur Chris-
« tus ante probrosam passionem suam publice cum
« tanta pompa et majestate ingredi voluerit, nimi-
« rum: « Ut antequam pateretur, specimen quod-
« dam regni sui Dominus exhiberet, seseque effica-
« cibus argumentis Messiam comprobaret expecta-
« tum, ut sic honos in fide erga se confirmaret et
« mali non haberent, quod in excusatione præ-
« texere possent. » S. Mattheus subjungit quod
« *commata est universa civitas, dicens: Quis est hic?*
« *populus autem responderit: Hic est Jesus.* Sacerdo-« tes quoque quisnam esset, satis cognoscere poterant
« ex zelo, quod eodem die in proligandis templi
« profanatoribus exhibuit, dicendo: *Domus mea dom-*
« *us orationis vocabitur*, sicut et ex prodigiis mi-
« raculis, quæ tunc operabatur, adeoque dum illum
« post quinque dies tanquam pessimum malefactorem
« crucifixerunt, protestando: *Non habemus regem,*
« *nisi Casarem*, per nullam se excusationem justifi-
« care potuerunt, se illum non agnovisse pretexen-
« tes. Didacus Stella mysterium nobis pandit, ob quod
« Christus, tametsi humilis et mundi contemptum to-
« taliter deditus esset, nihilominus hunc triumphum
« acceptarit, dicit enim: « Hanc triumphi gloriam
« non spernendam duxit, eo quod urget necessitas;
« necessum enim erat ut nostra redemptio omnibus
« innotesceret, ac proinde ut se Filium Dei osten-
« deret, de quo apud Zachariam, ix, 9, predictum
« erat: *Æmula, filia,* » etc.

4. — Sancta Mater Ecclesia crucem hoc præci-
« pue titulo condecorat: « Triumphale lignum: Super
« crucis trophæo Die triumphum nobilem, Quali-
« ter Redemptor orbis immolatus vicerit. » Porro
« homines in hoc mundo triumphum tunc pridem
« expectare solent, quando prostratus et dissipatus
« est inimicus: « Varius est enim eventus belli; »
« non vero sic Filius Dei fecit, qui de victoriæ cer-
« tudine omnino securus, anticipare voluit trium-
« phum; jam enim ante prædixerat: *Nunc princeps*
« *hujus mundi ejicietur foras.* Et iterum: *Et ego, si*
« *exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum;*

et ideo inter populi totius honorifica obsequia, fes-
« tivæque acclamationes triumphando, inivit victo-
« riam, quam de toto universo reportaturam erat,
« illud ipsum fidei suæ subjungendo et profligando
« tyrannidem inferni. Guericus Abbas, *Serm. in tu-*
« *ram palmarum*, felicissimum Jobi statum, qui subito
« in calamitosissimum commutatus fuit, hodierno
« triumpho comparavit, quem eadem septimana in
« monte Calvario terminavit: *De summa dejectus fel-*
« *icitate, in extrema atque gravissima finem sortitus est*
« *calamitate.* Fuit autem hæc specialis Redemptoris
« nostri adventio, quam eo fine excogitavit, ut
« tanto amarior ei passio sua esse videretur, ad eum
« fere modum quo summo dolore conficiendus esset,
« qui cum hodie Rex proclamatus sit, eras tanquam
« latro patibulo affigeretur. Unde S. Bernardus,
« *Serm. in Palm.,* ait: « Sed quid fuit, quod proces-
« sionem habere voluit, quam mox futuram nove-
« rat passionem? Forte ut amarior esset passio
« quam processio processisset. »

5. — Porro Filius Dei in variis quidem occasio-
« nibus testatam facere voluit lætitiæ, quæcum se ad
« redemptionis nostræ opus consummandum accin-
« gebat; at vero dum illi jam proxime vicinus esset,
« ostendere nobis voluit, quod ad opus illud se haud
« secus quam ad triumphum se reciperet. Unde
« Paulus de Palatio hoc eruit utilissimum documen-
« tum: « Intelligent ii, quibus crux placet, adeo glo-
« riosum esse pati, adeoque opus esse perfectum,
« ut ad id subeundum gloriosa deceat pompa; »
« ornatur Sacerdos sacrificaturus, sponsus nup-
« turus, Rex inaugurandus, ornatur Christus pas-
« surus. » Jansenius optime notat, quod dum vix
« ex jumento, cui tempore hujus triumphi insederat,
« descendisset, mox flagello armatus in conspectu
« sacerdotum ibi presentium, vendentes et ementes
« et templo, ubi iniquum et sacrilegum mercatum
« agebant, profligant et quidem tametsi perspicue
« futurum esse prævidisset ipsos ad inferendam ipsi
« mortem, per facinus istud heroicum ad majorem
« ferociam atque saviliem esse excitandos; attam-
« en « Horum impietate ad promovendam homi-
« num salutem uti voluit. »

6. — Didacus Stella, in *Luc.,* considerat Christum
« Dominum disposuisse, ne triumphus iste diuturnus
« esset, sed subito, et veluti in momento transiret.
« Hunc honorem et triumphum non lente, sed
« raptim sibi voluit exhiberi, ut scilicet nos doceret
« modum, quo in dignitatibus nostris terrestribus,
« et caducis honoribus nos habere debeamus; mo-
« mentanei enim sunt, milleque periculis et casibus
« obnoxii. » Jansenius similem quoque habet obser-
« vationem, nimirum quod Christus hisce applausi-
« bus, et hac gloria mundana brevissimo tempore
« uti voluerit, idque ad nostram instructionem, ut
« scilicet a mundi honoribus semper esse movens alieni:
« Ut ad tempus abhlandiens et accommodans se

« suorum affectibus, irideret hujus mundi glo-
« riam ostenderetque quam sit inanis et infida,
« cum tantos applausus, tamque honorificas accla-
« mationes et tantum populi studium mox secuta
« sit Crux. » Hisce quoque consonat Paulus de Pala-
« tio dicens: « Ut intelligant qui pompas ambiunt,
« quam sit vicinum et germanum summum deus
« summo dedecori. » S. Lucas Christum in hoc
« triumpho amare flexisse scribit; unde Didacus Stella
« hanc deducit moralitatem, dum ait: « In medio
« triumphi in lachrymas prorumpit, intuens mun-
« danas has dignitates potius tristitia et fletu quam
« gaudio et risu esse prosequendas, si hujusmodi
« honores, quemadmodum Christus recepit, nos
« recipere, nobis detrimento minime essent. »

Et venissent Bethphage.

7. — In hoc loco, inquit Lucas Brugensis, sacer-
« dotes, qui alternatim templo deserviebant, gregum
« suorum habebant pascoa: « Sacerdotum villam
« fuisse veteres tractatores notant, forte quod victi-
« mam illic alerent, et cum foret opus, illi accipe-
« rent, ut prope aberat civitate. » Agnus igitur hic
« mysticus, qui pro humani generis redemptione sac-
« rificandus erat, non sine mysterio in hoc loco
« conspiciens esse voluit, priusquam Jerosolymam
« cum solemnitate ingrederetur.

8. — S. Thomas, in *Math.,* ait: « Vicus sacerdo-
« talis, quia sacerdotes serviebant templo per heb-
« domadas, vel idem est, quod domus maxillarum,
« quia hostiæ maxilla erat portio sacerdotalis; » ac
« proinde etiam ob hanc rationem Christus ad hunc
« locum opportune accessit, ut in sacrificio cruento
« non nisi semel offerendus, tanquam hostiam se sa-
« cordolibus presentaret, qui se tanquam sacrificium
« incruentum paulo post se eorumdem sacerdotum
« manibus ad finem usque seculorum consignaturus
« erat.

9. — S. Hieronymus ait: « Qui sacerdotum
« vitulus erat, et confessionis portabat typum. »
« S. Thomas pariter ait: « Volens appropinquare
« Jerusalem, venit per Bethphage, per domum
« confessionis. » Bethphage porro villa quædam
« erat in descensu montis Oliveti situata, inquit Lyr-
« anus, in qua sacerdotes habitabant, respiciebatque
« Jerosolymam, cui vicina erat, ut tanto promptiores
« ad templi cultum accurrere possent. B. Petrus Da-
« mianus similiter ad sacerdotes alludit, *Hom. in hoc*
« *die*, indeque sequentia salutaria elicit documenta:
« Bethphage interpretatur domus buccæ, et est in-
« tollectus sacerdotum, per quam designatur con-
« fessio; ad hanc Dominus venit, quia ad confi-
« tendum corda accendit. » Denique vero idem
« sanctus Pater discursum suum prosequitur, et per
« contextum hunc Evangelicam discurrendo ostendit,
« quoniam modo vera penitentia institui possit:
« Castellum, quod est contra Dominum, et ejus dis-

« cipulus, est animus obstinatus, proprie deditus
« voluntati; duo discipuli ad illud missi sunt spes
« et timor; asina et pullus alligati, humilitas et
« simplicitas: hujusmodi enim animus aliquando
« novit, quid sit humilitas, quid simplicitas, et quod
« simpliciter et humiliter sit vivendum, sed quasi
« eas alligat et reponit, dum non vult eas opere
« exercere. Terret hunc timor, ubi a malo resi-
« puerit, minans ei tormenta: confortat eum spes,
« si ponituerit, præmia pollicendo; compungitur
« his duobus animus; solvitur asina et pullus, cum
« obviam Domino eundo Bethphage, confitetur se
« peccasse, et promittit se deinceps humiliter et
« simpliciter victurum; et sic qui erat prius castel-
« lionis diaboli, efficitur urbs fortitudinis nostræ
« Sion, Salvator ponitur in ea murus et antemurale;
« Jansenius humilitas est, antemurale patientia. » De-
« mum concludit, ad veram quandam confessionem
« et emendationem vite nos exhortando: « Egredia-
« mur igitur obviam Domino Bethphage, conjuncti
« timore penæ, et spe celestis vite firmati, confi-
« tendo peccata humiliter et simpliciter, ambu-
« lando substratis vestibus nostræ carnalitati, ut
« in nobis dignetur sedere Dominus, et nos secum
« in celestem Jerusalem introducere. »

In montem Oliveti.

10. — S. Anselmus, in *Math.,* ait: « Mons vero
« Oliveti, eandem etiam Ecclesiam primitivam si-
« gnificat; oliva enim fomentum gignit luminis,
« scilicet oleum, quod etiam carnem fovet, et heli-
« ficat, et in Sacramento Baptismatis ponitur. Pre-
« terea est etiam arbor pacis, quæ omnia Ecclesie
« conveniant; Ecclesia enim pacifica et aliis pacem
« nuntiatur, et eam Christus unione spiritualium
« charismatum sanctificat, et luce scientiæ illumi-
« nat, et oleo exultationis, id est, gratia spirituali
« impinguat. »

11. — Interlinearis per hunc montem Oliveti,
« Ecclesiam quoque interpretatur, vel immensam
« Salvatoris dilectionem: « Significat Ecclesiam, vel
« celestitudinem dominicæ dilectionis. » S. Hierony-
« mus de hoc monte in sensu mystico dicit: « Ubi
« lumen scientiæ, ibi laborum et dolorum requies. »

Additiones.

a. — Cum appropinquasset Jesus Jerosolymis, et
« venisset Bethphage, ad montem Oliveti. Magna fue-
« runt ea quæ Christus semper operatus est miracula,
« sed maximus fuit illud hodiernum, tam efficaciter
« operando in cordibus hominum, eadem ad tam
« ferventem sui amorem excitando, ut tanto cum
« triumpho prodeant illum recepturi. Et si miran-
« dum quod aliquando mortuos revocavit ad vitam,
« profecto minus mirandum non est, quod hunc in
« cordibus Judæorum excitavit amorem, quia amor
« est vita anime, quæ valde ingrata est, nisi Deum

amet, qui tot modis salutem ejus curat. Nos scimus, inquit S. Joannes Apostolus, I. *Epis.*, m, 14, *quantum translati sumus de morte ad vitam, quantum diligimus. Qui non diligit manet in morte.* At vero quamvis amorem et mortem interest correspondantia? Nimirum quod scilicet mors tunc sequitur quando anima separatur a corpore, illa quoque mors spiritualis anime tunc accidit, quando Deus qui charitas et amor est, a nobis recedit. Unde S. Cyrillus Alexandrinus ait: « Mors proprie est, non que animam dirimit a corpore, sed que a Deo separat. Deus vita est, a quo qui distinguitur, perit. » Porro homo primus est, qui mutam illam Deum inter et animam conjunctionem dirumpit et tollit; homo enim primus est qui a Deo se separat, dum se pro affectum ad creaturam convertendo, Deum Creatorem suum tergotenus aspiciit, cum ceteroquin quod Deum affinet, ipsemet clare protestetur, dicens: *Delicia mea esse cum filiis hominum*, S. Thomas de Villanova, *Serm. de S. Maria Magdalena*, non immerito obstupescit, quod adeo pauci inveniantur qui Deum amant, taleque stuporis istius adducit argumentum, quo ingratitude et negligentie nostre, quam in hoc amore manifeste nimis exhibemus, vehementer improperat: « Considerate fratres mei, inquit, si hic Imperator sui imperii et regni promitteret consortes « habere omnes qui eum diligenter, quot inveniret « in mundo dilectores. Proh pudor! Ubique querit « Deus tam gloriosus, tam pretiosus, tam immen- « sus, dilectores sui, invitat ad se amans quos ipse « condidit, donat plurima et plura promittit, et in « ipsis operibus suis vix invenit dilectorem sui. »

b. — *Et venissent Bethphage.* Vere venit, qui sponte venit. Non trahitur ad mortem, sed venit motus amoris igne, quem amorem plus in redemptionem quam in creatione nostra ostendit; siquidem ipsemet in propria persona corpus assumendo passibile, redimere nos voluit. « Grandi dignatione, » inquit S. Augustinus, *lib. de dilec. Dei*, « primo « homini spiraculum vite desuper pius formator « infudit, sed multo majori charitate, pro eodem « homine non jam sua dedit, sed seipsum impen- « dit. Magnum quidem est de Deo quod esse me « sentio opus ejus, sed multo plus est quod trans- « isse ipsum video in pretium meum. » Imo valde notandum est quod Apostolus, *Eph.*, ii, 4, hanc in redemptione exhibitam charitatem nimiam intitulari: *Propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos*. Similiter S. Evangelista, cujus calamus a Spirito Sancto, qui lotus et merus amor est, directus fuit, amarum Domini Passionem excessus nomine circumscribere voluit, *Luc.*, ix, 31: *Dicebant excessum ejus, quoniam completurus erat in Jerusalem*. Magis tuncque debitoribus sumus pro amore in redimendis, quam in creandis nobis exhibito. « Plus, Domine « Jesu, » inquit S. Ambrosius, *lib. II in Luc.*, « in-

« juris tuis debeo quod redemptus sum quam ope- « ribus quod creatus sum. »

c. — Non absque mysterio iter suum capit Dominus ad montem Oliveti, siquidem hic symbolum est misericordie. Dominus autem animas nostras redempturus, id non titulo justitie, sed misericordie fecit, nobis ostendere volens quanti animas nostras estimarit, quantumque vite redemptionis pretium ex eo quod illas cum tanto sui dispendio salvet. Merito S. Apostolus nobis pretium magnum ob oculos ponit, quo sumus redempti, I. *Cor.*, vi, 20: *Empti estis enim pretio magno*; siquidem cum non solum una pretiosissimi sanguinis stilla, vel unica lachryma, aut unicum suspirium, sed etiam unicus interior voluntatis actus, ad redemptionem nostram sufficere potuissent, ipse tamen voluit ut esset *captiva quod cum redemptio*; idque nullo alio fine quam ut in infinite estimationis pro hoc veniremus notitiam, qua animam nostram tanto pretio dignam esse estimavit. Unde Eusebius Emissenus ait: « Quam pretiosus sis, si factorem forte non credis, « interroga Redemptorem. » Et S. Bernardinus ait: « Nota cum quanto pretio es redempta, quia « cum sanguine et vita Christi, ad denotandum « pretiositatem anime, quia unus passus pedis et « unicus ictus oculi Christi erat sufficiens pro re- « demptione decem millium mundorum. » S. Bernardus, *Epis.* lvi, illa verba ponderat Salvatoris dicens: *Quid prodest homini si mundum universum lucratur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* Is enim qui hæc verba protulit, optime sciebat quam sibi pretio mundus et quo anima constitisset; siquidem ad condendum mundum unicum duntaxat verbum adhibuit: *Ipse dicit, et facta sunt*; at vero, pro anima triginta trium annorum vite penosissime Hædem impendit: « Nec totus mundus « sufficeret, » inquit Mellitius Doctor, « Magna « res anima, quæ Christi sanguine redempta est, « gravis anime casus, qui non nisi Christi, crucis « potuit reparari. »

d. — Frequentissime Dominus commoratus est ad montem Oliveti, nec sine mysterio; mons enim Oliveti symbolum est misericordie, in qua Deus sive quoad se erga nos, sive quoad nos erga alios, valde sibi complacet, maxime vero quando misericordiam exercemus in pauperes et egenos, per quam ingens salutis pignus nobis acquirimus. Regius Propheta David de viro elemosynario disserens, ab omnium bonorum datore vitam ei arguratur et beatitudinem, dum ait, *Psal.* xl, 3: *Dominus vivificet eum et beatum faciat eum*; ingens enim salutis suæ pignus tenet, qui pauperibus compassionem exhibet. S. Chrysologus, *Serm.* viii, Redemptorem nostrum dixisse observans: *Misericordiam volo*, inquit: « Humanam misericordiam « petit, ut largiatur divinam; est in cæcis miseri- « cordia, ad quam per terrenas misericordias per-

« venit. Dicitur causam in judicio Dei, patronam « tibi misericordiam, per quam liberari possis, « assume. » Quævis alia via nos fallere potest, præterquam illa que trita et regia via est; in omnibus aliis operibus bonis aliquis reperiri potest scopulus, in quem impingentes labamur; at vero, quoad elemosynam ex charitate et amore Dei factam, infallibilem habemus securitatem, quod dneatam nobis præstabit in patriam celestem; ac proinde S. Thomas de Villanova dignum hoc ei attribuit encomium, dum ait: « Eia, arripite viam salutis, « et pauperem, ut cum ipsi egeritis, intelligat « Deus super vos. » Quot equidem Confessores, Martyres, Virgines et Apostoli in eremis sepulti contabuerunt, vivi aut equales se exercitari permiserunt? Nihilominus in regnum celorum admittendi nihil horum sibi dici audient a Christo, sed duntaxat: *Esurivi*, etc. Ideoque S. Chrysostomus, *Serm.* xiv, ait: « Quod Abel passus sit, quod servavit mun- « dum Noe, quod Abraham fidem suscepit, quod « Moyses legem tulit, quod Petrus crucem resupi- « tus ascendit, Deus tacet, et hoc clamet solum, « quod comedit pauper. »

e. — Bethphage viculus erat Bethaniam propinquus qui, ad radices montis Oliveti situs, extabat quinque stadiis ab urbe Jerosolyma distans, ut tradit Josephus, *lib. XX Antiq.* Hic autem vicus Bethphage constitutus erat in officio seu in ore vallis Josaphat, ut docet S. Hieronymus, in *cap. xxv Matth.* In hac autem valle Josaphat erat via que ducebat ad portam auream templi. Per hanc autem vallem que reservata est extremo judicio, voluit Christus ingredi cum regali triumpho, in civitatem ad mortem, ut inueneret, in extremo judicio exactam rationem sumendam esse ab iis qui mortem et passionem Christi contempserunt.

f. — Magnum certe miraculum et evidens divinitatis indicium, subito corda hominum movere ad amorem et reverentiam, idque in statu vili et abjecto; quod hodie in Christo videre licet, dum tam efficaciter in cordibus Judæorum tantam in se excitavit reverentiam, ut cum tanto eum triumpho recipere cogitarent; sic etiam evidens vere fidei argumentum est, quod illa in tam brevi temporis spatio, per homines idiotas et illitteratos, tanto cum fructu fuerit ad omnes populos extensa, ut cum gaudio et applausu illam receperint. S. Bernardinus in quodam sermone de fide disserens, tria hæc ponderanda esse dicit, scilicet: « Quinam hanc « fidem prædicaverint; secundo, quod prædicave- « rint; tertio, quibus prædicaverint. » Hæc enim tria, inquit Sanctus, si attente considerentur, clare totum mundum non sine miraculis ad Christum conversum fuisse apparet, quamvis, inquit, hoc miraculorum omnium maximum fuerit; citatque auctoritatem S. Augustini dicentis: « Non minus incredi-

« bile est homines ignobiles, infimos, paucissimos- « que atque imperitos, rem tam incredibilem, tam « efficaciter mundo et in illo etiam doctis, persuas- « dere potuisse ut mundus illa credat, sicut et cre- « didisse videtur. » D. Chrysostomus, *Hom.* xxxiv in *Matth.*, tantum miraculum obstupescit dicens: « O « rem novam atque inaudiam in natura Judeo- « rum innumera millia Romani tunc vicerunt atque « cooperunt, et a duodecim viris nudis atque iner- « mibus superati sunt. Quæ oratio exponere pote- « rit tanti miraculi magnitudinem? » At vero quæ- « nam, obscuro, doctrina per illos tradenda erat? Difficillima profecto, omnemque exsuperans intel- « lectus humani capacitatem, longeque difficilior voluntati, ut illam amplexaretur. S. Bernardinus citat S. Augustinum, *lib. XXII de Civit. Dei, cap. xx*, dicentem: « Quid incredibilem quam quod a legem « contrariam carni et sanguini, Doctores pauci, « rudes et pauperes possent plurimos potentes et « sapientes convertere? Quod quidem patet de « nullis sapientibus primo fidei rebellibus, postea « conversis. » Neque Christianos ad Christum volap- « lates carnales traxerunt, aut vita Epicuri et Sardanapali, sicut Mahometes et Lutherus traxerunt hæreticos, sed virtus Evangelicæ veritatis et crucis.

g. — Multi varias adducunt rationes, cur Christus Dominus ante probrosam passionem suam, publice cum tanta pompa et Majestate ingredi voluerit. Aliquam et satis fundatam rationem insinuat sancta Mater Ecclesia, dum crucem hoc præcipue titulo decorat: « Triumphali ligum: Super « crucis trophæum, Die triumphum nobilem, Qua- « liter Redemptor orbis, Immolatus vicerit. » Nam Filius Dei in variis quidem occasionibus testatam facere voluit lætitiâ, quæcum se ad redemptionis nostre opus consummandum accingebat; at vero, dum illi jam proxime vicinus esset, ostendere nobis voluit, quod ad opus illud se haberet, haud secus quam ut triumphum aliquem reciperet.

VERSUS 2.

Tunc Jesus misit duos discipulos, dicens eis: Ite in castellum, quod contra vos est, et statim invenietis asinam alligatum, et pullum cum ea, solcite et adducite mihi.

Tunc Jesus misit duos discipulos.

1. — Glossa duos hosce discipulos Petrum et Philippum fuisse existimat; siquidem hi primi fuerunt, qui præ aliis gentibus prædicarunt: « Philip- « pus Samariam convertit, quam asinam interpre- « tantur; Petrus Cornæum, quasi Samarie pul- « lum. » S. Thomas per hanc missionem illam præfiguratum esse dicit, qua omnes Apostoli in variis mundi partes fidei plantandæ causa mittendi erant: « Significavit missionem Apostolorum in

« hunc mundum. » Porro duo soli missi fuerunt, sed ut S. Bonaventura advertit : « Per duos discipulos missos intelligitur universitas discipulorum « missorum ad convertendum mundum, et maxime « populum gentium. »

2. — Sacri Expositores varia in hoc numero mysteria considerant; et quidem S. Hieronymus ait : « Id est, scientiam et opera. » Glossa dicit : « Duo, propter scientiam veritatis, et munditiam « operis, et sacramentum geminæ dilectionis præ- « dicaturi. » S. Thomas inquit : « Sed duos, ut « significaret charitatem, quæ consistit saltem inter « duos; vel significat vitam activam, et contempla- « tivam. »

3. — Hugo Cardinalis, in *Matth.*, ad peccatorum nostrorum confessionem alludens dicit : « Moraliter « isti sunt timor et amor; timor solvit asinam et « pullum, nam timor Domini expellit peccatum, « *Ezech.*, 1, 27. Amor veniam impetrat, et sic ad « Jesum adducit. »

Ita in castellum quod contra vos est.

4. — Dionysius Carthusianus per castellum istud Jerosolymam intelligendam esse censet : « Hoc est, « in civitatem Jerusalem; » at vero quia forte dicit aliquis, cur Dominus civitatem illam adeo vastam, adeo sumptuose fabricatam, totius Palestine metropolim, castellum appellat? ideo duas ejus rationes adducit, unam quidem litteralem : « Propter « situm loci, quia in montibus erat sita; vel ob for- « titudinem murorum et munitionum. » Alia ratio est, quia « despectiva vocatur castellum, quia non « fuit in ea vera unio civium, sed magna dissensio. »

5. — S. Bonaventura, in *Luc.*, verba illa considera- rat : *Quod contra vos est*; licet enim Cajetanus illo- rum verborum hunc sensum esse dicat : « Quod e re- « gione ad vos situm est; » attamen Seraphicus hic Doctor scribit : « Per castellum illud, quod est con- « tra discipulos, intelligitur mundus, de quo Joan- « nes, xv, 18 : *Si mundus vos odit, scilicet quia me « priorem vobis odio habuit*; et tamen in hunc misit « discipulos ad predicandum. »

6. — Hugo Cardinalis super Matthæum ad pec- catorem induratum alludens, ita scribit : « Cor « peccatoris est cogitationibus quasi muris et pro- « pugnaculis munitum. *Psal.* lxx, 41 : *Quis deducet « me in civitatem munitam?* ad quod prædicti disci- « puli mittuntur, ut solvant asinam et pullum, et « adducant ad Jesum; alia est caro lasciva, pigra, « stolta; pullus carnalis affectus, uterque ligatur, « id est, voluptatum illecebris irretitur. »

7. — S. Bernardus, *Serm.* in *hoc ser.*, ait : « Cas- tellum, quod contra discipulos Christi est, anima « est peccatrix, quæ per elationem internis et spiri- tualibus Redemptoris nostri virtutibus contraria « est. »

Et statim invenietis.

8. — Chrysostomus, *Hom.* lvi in *Matth.*, in hoc Christi præcepto varia Divinitatis suæ signa obser- vat : « Diligenter observa, quot mirabilia peragit, « et quot prophetias adimplet; asinam inventuros « prædixit; neminem prohibiturum, et omnes laci- « tuos affirmavit; non enim parvum est, cum tra- « herentur jumenta, nihil dixisse, et si dixerunt, « cum audissent, quia Dominus illis indigeret, ces- « sisse, maxime cum non ipsum, sed discipulos « ejus viderent. »

9. — Non solum illis, quod jumenta subito in- venturi essent, prædixit, verum etiam illis insinuare voluisse videtur, quod animalia illa illis confestim paritura, nontquam vero recalcitratura sint. S. Jaco- bus in Epistola sua Canonica in, 3, dicit : *Si equis « frena in ora mittimus ad consentiendum nobis, et « omne corpus illorum circumferimus.* Porro equus ad motum manus, vel virgæ nutum, ad minimum freni motum, vel ad minimum calcæis puncturam, subito motus est sive ad sistendum gressum vel cursum, sive ad accelerandum, sive ad se moven- dum; sive ad saltandum, sive ad tardius gradien- dum : at vero animæ fideles, quæ in oratione Domi- nicæ quotidie protestantur, petuntque ut Dei in ipsis voluntas adimpleatur : *Fiat voluntas tua sicut in « celo et in terra,* quam sunt Deo rebelles et con- tamacæ! Tertullianus, *de Patient.*, c. iv, ait : « Etiam « de pecudibus, etiam de bestis obedientiam expri- « mimus, intelligentes usibus nostris eas a Domino « provisas et traditas; » in vero quæ inde ab eodem pervertito scriptore deducitur consequentia, merito nos erubescere facit; subdit enim : « Meliora ergo « nobis erunt in obsequii disciplina, quæ nobis « Deus subdit. »

Asinam alligatam, et pullum cum ea.

10. — Interlinearis per asinam Judæismum intel- ligit : « Judæos legis jugo domitos, sed tamen « peccatis irretitos. » Venerabilis Beda, in *Matth.*, similiter ait : « Asina Synagoga, quæ legis jugum « traxerat; pullus asinæ lascivum et liberum natio- « num populum demonstrat. » Glossa addit : « Cui « nullus Doctorum frenum correctionis imposuit, « liber, et lascivus, qui et ipse vineulis peccatorum « irretitus erat; omnes enim peccaverunt, et egent « gratia Dei. » Observandum est ex Glossa eadem quoque, quod quia S. Matthæus Hebræis scribebat, ideo, ne eos in salutis suæ desperationem adigeret, eisdem significat, quod præter pullum etiam asinam insidere voluerint. « Docens non desperare salutem « Hebræis, si penitent. » Eadem quoque Glossa textum citat S. Marci dicentis : « Pullum nunc ante « januam in bivio inventum; janna Christus, extra « quam populus gentium stabat, ligatus non eo, « una via fidei, sed in diversis erroribus. » Scien-

dum insuper est, quod Lucas altam quandam de hoc pullo circumstantiam adducat; dicit enim : *Lave- « niatis pullum asinæ alligatum, cui nullus unquam « hominum sedit.* D. Chrysostomus hoc loco, *Hom.* lxxv in *Matth.*, Judæos interrogat, an ullus un- quam Rex pullo asinæ insidens Jerosolymam in- gressus fuerit? Nullus utique præter Christum : « Hæc faciebat, ut figuris ventura significaret. Hic « enim Ecclesia et novus populus olim immundus « per pullum significatur, qui postquam in eo Jesus « quievit, ab omni sorde deliberatus, mundus « effectus est. » Cajetanus, in *Matth.*, ait : « Non « elephantem, non camelum, non equum, non « mulum, sed asinam et pullum, ut ex eis manifes- « tis indicis tanto tempore ante prædictis, nullus « relinqueretur excusationi Jerosolymitarum lo- « cus. » Imo quæque Doctor considerat, quod tametsi animal istud indomitum fuerit, adeo tamen se quietum exhibuerit : « Admirare quomodo dum « esset indomitus et freni omnino expertus, non « resiliit, nec reluctatus est, sed quiesce quasi as- « suetus ferebat. Gentium enim obedientia hinc « significatur, et repentina in meliorem vitam mu- « tatio : *Saulus adhuc spirans minarum et cædis in « discipulos Domini;* » at vero vix Christus Dominus noster effrenum hunc pullum, Saulum videlicet, sibi et in sessioni suæ vendicavit, ex quo illum in terram dejeciendo, cum ecce subito dixit : *Domine, « quid me vis facere? Benjamin lupus rapax in agnum mansuetissimum commutatus fuit.*

11. — Theophylactus super Matthæum, ad diversitatem se reflectit, quæ Evangelistæ historiam hanc referunt : « siquidem S. Lucas et S. Marcus « subjugalem solum dixerunt; Matthæus autem, « asinam et pullum; non dixerunt autem contra- « ria; ducentes enim pullum secuta est mater; » ambo autem hæc animalia ligata erant, quia tam populum gentilem quam Judaicum, inquit Beda, « ingrediente mundum prædicatore, perfidiæ vin- « culis, et funiculis peccatorum invenerunt alliga- « tum. » *Job.*, xi, 42 : *Venus in superbiam erigitur, « et tanquam pullum onagri se liberum natum putat; « sed alligatus dicitur funibus peccatorum, » inquit S. Bonaventura.*

12. — Chrysostomus summam ejus humilita- tem, quam in summo honorum apice in hoc Evan- gelio constitutus, exhibere voluit, dum Jerosolymam triumphandus ingrediens in humili hoc jumento sedere voluit, considerans ait : « Regulas nobis « præbet, ne majora quam necessarius usus exigit, « requiramus; itaque quando etiam nasebatur, « non magnificas ædes, non locupletem matrem, « sed pauperissimam, et fabro desponsatam elegit, et « in tugurio naseitur, et in præsepio ponitur. » Imo vero tam nativatem quam mortem glorioso triumpho honorare voluisse videtur, sed triumpho humilitatis; in nativitate sua enim loco currus

triumphalis præsepe habuit, equorum loco bovem et asinum adhibuit, pro sympionis choros angeli- cos, nunquam hactenus visam stellam pro ignibus artificialibus habuit, populus applaudens pauperes fuere pastores; Magnates obsequia et tributa sua ei offerentes, tres fuere Reges orientales. In morte similiter currus ejus triumphalis fuit crucis patiba- lum, diadema corona ejus spinea, sceptrum clavi, lacera purpura chlamys regia, lautum ejus convi- vium ex aceto et felle præparatum fuit; populus festivos ei applausus faciens Judæi fuere vociferan- tes : *Tolle, tolle; Capitulum,* in quod ductus est, Calvarie mons funestissimus; Magnates denique et Principes, a quibus utrinque stipari visus est, duo fuerunt latrones.

13. — Hugo Cardinalis, in *Luc.*, de pullo isthòc in sensu mystico ita scribit : « Pullus asinæ alliga- « tus, est affectus animæ triplici vinculo ligatus, « quod est lascivia juventutis, sanitas corporalis, « prosperitas mundialis. »

14. — S. Hieronymus quoque de hoc jumento in sensu morali tractans, ita scribit : *Per asinam « alligatum, animam peccatricem intellige;* de pecca- tore enim Spiritus Sanctus, per os David, testatur, *Psal.* lxxvii, 13, dicens : *Homo cum in honore esset, « non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus ; « at vero quando homo Deo rebellis adversitatem « funibus a Deo stringitur et ligatur, facile et sine « ulla recalcitracione se a Deo duci et trahi patitur, « *Psal.* lxxxvii, 17 : *Imple facies eorum ignominia, et « quærent nomen tuum, Domine.* Ubi S. Augustinus ait : « Querant nomen Domini. »*

Solvite.

15. — Absolvite a vinculis errorum et peccati, inquit Dionysius Carthusianus, *Matth.*, xviii, 18 : *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et « in celis.* Apostoli enim gentiles, ad quos Evangelii prædicationi causa missi fuerant, ad innumeris super- stitionum, magiarum, idololatriæ, vitiorum et scelerum vinculis et erroribus liberare et eximere debebant. Unde Glossa Interlinearis ait : « Solvite a « peccatis; » siquidem, ut Origenes dicit : « Ascen- « dens cælum jussit discipulis, ut solverent pecca- « tores, dans eis Spiritum Sanctum; » eadem septi- mana consecravit Sacerdotes, et in die Resurrecc- tionis in ordine ad potestatem remittendi peccata, contulit illis Spiritum Sanctum, *Joan.*, xx, 22 : *In- « sufflavit in eos dicens : Accipite Spiritum Sanctum, « quorum remisistis peccata, remittuntur eis;* nimirum triumphum suum associatum esse voluit liberatione et absolute animarum ligatarum a vinculis peccatorum, ad denotandum nobis, quod in hoc victo- riam, trophæa, et triumphos suos habeat repositos, id est, in eo, quod est peccatoribus peccata eorum remittere et condonare. Sanctus Apostolus, I *Cor.*,

xv, 33, proinde ait : *Ubi est mors victoria tua? ubi est mors stimulus tuus? stimulus autem mortis peccatum est; Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum Jesum Christum; hanc enim victoriam, id est, virtutem superando, mortem peccati, per Christum et sanguinem ejus pretiosissimum effusum obtinimus.*

Et adducite mihi.

16. — Sed quoniam modo id fiet? « Per doctrinam vestram, » inquit Chrysostomus, *Hom. xxxvii in Math.*, « per miracula vestra adducite, id est, ad gloriam meam corrigite illos. » S. Anselmus hanc commissionem prelati et superioribus datam fuisse considerat : « Ecclesiastici, qui semper debent predicare populo, per orationes, et confessiones, et penitentiam, et jejunium. »

17. — Albertus Magnus ait : « Adducite per attractionem charitatis. » In Osea, xi, 4, etenim Dominus dicit : *In funiculis Adam traham vos, in funiculis charitatis.*

18. — Porro pro Christo ligari et vinciri, vera filiorum Dei libertate frui est : *Ego Paulus vincitus Christi Jesu.* S. Ambrosius, in *Psal. xlv*, dicit : « Christus quos alligat, liberat, quos astringit, ab- solvit. »

Adnotationes.

a. — *Tunc Jesus misit duos discipulos, dicens eis : Ite in castellum quod contra vos est. Joannes Geometra existimat hoc castellum, ad quod mittuntur discipuli, fuisse Bethaniam. Unde ait : « Illic ubi obedientia, ubi locus sacerdotibus mancipatur, » mittit Dominus Apostolos suos, ut solvant asinam pullum. » Potius Christus mittit in Bethaniam quam in alium locum : Bethania enim domus obedientie significatur, ideo pro significatione ad illam destinat discipulos, quia solum in illis, qui in obedientia vivunt et serviunt, Dominus amat triumphare, ac regnare; quia obedientia Deo est gratissima virtus. Gratiam Dei et cor ipsius nobis comparare possumus, si voluntatem nostram in ejus voluntatem consignaverimus : Deus enim ab initio constituit hominem, ut Ecclesiasticus, xv, 14, ait, et reliquit illum in manu consilii sui; adeoque tametsi cuncta alia in Dei dispositione sint posita, sola tamen voluntas et liberum arbitrium in nostra posita sunt potestate. Ac proinde quando nos libertate quoque nostra nos privamus, eique liberum arbitrium nostrum subjicimus, hoc profecto maximum est donum, quod ei offerre possumus, quodque pre cunctis aliis donis Deo est acceptissimum. Atque hinc est, quod Deus cor et voluntatem nostram anxie a nobis postulet dicens : *Præbe fili mi cor tuum mihi*, id est, voluntatem tuam, quæ nomine cordis denotatur; quia sicut hoc est primum mobile omnium sensuum nostrorum, omniumque motuum principium, quod omnibus membris vitam imper-*

titur et calorem; ita quoque voluntas omnium motuum spiritualium anima est origo, ad cujus imperium ipsi quoque sensus regulantur. Unde dicere possumus quod si voluntatem Deo donaverimus, nos totos et quidquid est in facultate nostra, hominem scilicet interiorem et exteriori ei donabimus. Unde Taulerus, magnus vire spiritualium magister, sequentes doctrinas tradit : « Obedientia tanta virtus est, ut vel minimum aliquid opus ex ea factum, qualecumque fuerit, multo melius, » Deoque acceptius sit, quolibet alio opere, quam libet etiam magno, quod sine obedientia peragatur; sive sit Missæ auditio, sive lectio, sive oratio, sive quodlibet bonum opus, quod ex cogitari possit. » Venerabilis Abbas Blossius refert revelationem quamdam a Christo S. Brigittæ his verbis manifestatam : « Christus dixit, audiente Brigitta : « Omnes vere virtutes ex charitate, sicut rami ex arbore procedunt, inter quas virtutes obedientia primatum tenet. Unde nihil amicissimum est, qui se ex humilitate subjicit, voluntatemque suam in manibus aliorum reponit, ita ut eam sequi velit. » Nam et ego qui sum omnium perfectissimus, » atque ipsa perfectio, obedi Patri usque ad mortem, ut exemplo meo ostenderem quam placitum sit Deo propriam voluntatem abnegare. » Porro Saluator noster suam erga æternum Patrem suam obedientiam, cibum suum appellavit, quia dicere vellet : Quam gratus et sapidus est cibus palato, ad sustentationem corporis, tam accepta et grata est nihil eximia hæc virtus.

b. — E contra D. Bernardus, *Ser. in Ramis pal.*, per castellum intelligit superbiam et elationem. « Castellum, » ait, « quod contra discipulos Christi est, anima est peccatrix, que per elationem, » internis et spiritualibus Redemptoris nostri virtutibus contraria est. Talis anima turrim elationis habet. » Per duos illos discipulos a Christo missos, intelligitur charitas; duo enim sunt præcepta charitatis. Per castellum ergo quod contra vos est, denotatur elatio ac superbia; nihil enim magis est contrarium divino amoris, ac charitati, quam elationis tumor; et ideo suis discipulis, quos in charitate instruebat, ait, quod elationis castellum contra eos est, ut ad recipiendas gratias et dona Dei, alta fugiant et humilia quaerant. Certum quidem est auctorem gratiæ Christum esse, per quem, ut Apostolus, *Rom.*, i, 5, ait, *accepimus gratiam*; at vero, nescio, an aliquando observaveritis, cuiquam rei Christus ipse gratiam assimilaverit; nimirum aque elemento; cum enim cum lasciva illa muliere Samaritana discurreret, ut eam ad divini gratiæ sue infusionem diserneret, dixit ei : *Qui hiberit ex hac aqua, quam ego dabo ei, fiet et fons aque salientis in vitam æternam.* Cur vero Saluator noster divinam gratiam suam fontem aque salientis comparavit, S. Bernardinus his verbis insinuat : « Per talem aquam

« gratia gratum faciens designatur. » Sicut enim aqua quantum dorsum descendit, tantumdem quoque denno ascendit in altum; eadem quoque proportione, tantum gratia ascendit in animam quanto illa profundius se humiliat. Præterea aqua, experientia teste, loca profunda naturaliter diligit; eadem pariter est divini gratiæ conditio, quod scilicet centrum suum in animabus humilibus habeat.

c. — Credendum non est summam illam Patris Sapientiam, sine maximo consilio, usum horum jumentorum requisivisse, qui toties pedibus Jerusalem ingressus fuerat. Quid enim stolidia animalia ad triumphum pompam et gloriam faciunt? Multum per omnem modum. His enim duobus jumentis, lapsos primos nostros parentes et consequenter omnem peccatorem adumbrari, philosophatur S. Ambrosius, quorum miserabilem ruinam, tum reparationem et resurrectionem hæc brevi historia designari ait. Prima enim miseria in quam homines lapsi sunt, ea est, quam Regius Propheta designavit, *Psal. xlviii*, 13, dum ait : *Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus.* Ideoque commodissime hoc jumentorum genere, que inter cætera animalia abjectissima sunt, designantur, ut appareat et quanta amplitudine, ac dignitate, in quantum ruditer ac vilitatem miser homo delapsus sit. Quam rem apertissime in plerisque hominibus videmus, qui ad divina percipienda rudissimis his jumentis similes existunt. Cujus rei gratia non solum peccatum bestie, sed et peccatores ferarum aliorumque vilium animalium, nominibus a SS. Patribus appellantur. Deus, S. Petro, peccatores, in extasi delineare volens, quos per prædicationem suam ad veram perducitur esset notitiam, eidem coelitus amplum quoddam linteum dimisit, in quo non Cherubini, non stelle, non gemmæ, sed deformia animalia effigata erant. Dicit enim sacer textus, *Act. Apost.*, v, 11 : *Vidit celum apertum et descendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor vitibus submitti de celo in terram, in quo erant omnia quadrupedia et serpentina terrea, et volatilia caeli.* Isaias Propheta, l, 2, per magis tritas et populares Hierosolymæ plateas oberans, lamentabatur se nullum invenire hominem : *Veni et non erat vir, sive homo*; tamen dense quidam populi multitudinem prædicabat; cur igitur se hominem non invenire conquirebatur? Respondet S. Hieronymus : « Omnes enim viri et hominis » imaginem relinquunt, bestiarum et serpentium » sumpsere imagines. » Unde ad Herodem, propter malitiam dicitur : *Ite et discite vulpi illi*; et ad Pharisæos : *Gemma viperarum*; et ad libidinosos : *Equi insipientes in feminis facti sunt*; et de voluptuosos : *Nolite margaritas vestras mittere ante porcos*; et impudentibus : *Negue sanctum date canibus.*

d. — Ligata animalia quod per peccata ligatum designent hominem, jam audivimus. Nam quid miser homo a peccato habere nisi laqueos? Quid post miseram servitutem, exhibitam prope infinitis dominis maneret misero peccatori, nisi vinculum, nisi restes, nisi laqueos? *Invenietis asinam alligatum.* Hoc enim tenebrarum princeps quibus peccator servit, meditatur, ut sua principia mille constringant laquei. Eleganter D. Athanasius, qui expendit id a S. Luca exaratum, *cap. xix*, nempe quod discipuli Christi Domini mandatum tunc exequentes, asinam et pullum solvere nituntur : *Sed tunc dixerunt domini ejus ad discipulos.* « Qualis igitur est hic pullus, » ait, « qui non unum Dominum habet sed plures? Nonne si mente præditus esset, » sufficeret ei, si unus dominus assideret? Nunc autem complures sunt ejus domini et nullus eorum negotia obit, nemo eorum abscedit; imo nullum illis aliud opus in manibus, quam ut a asellum in bivio aligent. Asinus interea præsepe non habet, diversorium non habet; non est, qui in forum descendat; id tantum agitur ut pullus vinciatur. » Sic durissimam servitutem, atque vincula inducit et iniecit homini peccatum, ut major servitus et indignior esse non possit.

e. — Misera profecto servitus cui vagum jus est, multos enim habent dominos, qui unum non habent. Dum enim peccator asinino stupore correptus, peccatis servit, nil a pene innumeris dominis habet, quam vincula, quam laqueos. Audis asinam inveniendam, ligatum, non pastam, quam vinculis, non cum præsepe, crudelibus obstant dominis, sed qui nihil curent, nihil spectent aliud quam quod duris prematur laqueis. Et merito, dum enim impius unius veri Domini jugum a se repulerunt, multis non tam dominis quam tyrannis servierunt. S. Augustinus, *lib. IV de Civ. Dei*, ait : « Bonus etiam servus viat, liber est; malus autem, etiam si regnet, servus est. Nec unius hominis, sed quod gravius est, loti dominorum quod vitiorem. » S. Hieronymus, in *Isaiæ cap. l*, inquit : « Quod peccatis suis » uniusquisque venundetur, dum proprio arbitrio » derelicti, nostra voluntate vel ad malum ducimur » et Paulus Apostolus docet : *Ego autem carnalis sum, venudatus sub peccato; qui enim feci peccatum, » ten, servus est peccati.* Et quomodo avari atque » raptores servi sunt mammonæ, sic omnia peccatum dominator peccatoribus, quibus dicitur : *Non regnet peccatum in mortali vestro corpore.* » S. Chrysostomus, in *Psal. cxxv*, ita scribit : « Qui » ceperunt aliquos jure belli, captis sæpe parentum, » et si aut avari, aut lignari, aut equos pascere » jusserint, animam minime læserunt. Qui peccati » autem captivus factus est, habet sævum et barbarem dominum, qui cogit eum facere res turpissimas; non enim parere et misereri novit hæc » vitii tyranni. Audi qualiter cum miserum et » infelicem Judam accepisset captivum, minime ei

« pepercit, sed sacrilegum et proditorem fecit. » Deinde, postquam scelus perpetrasset, eum in « theatrum Judæorum produxit, et maleficium « revelaverit, et nec sic quidem permisit, ut per- « ciperet fructum penitentiae, sed ante peniten- « tiam perduxerit ad laqueum. Est enim saevus « tyrannus, qui jubet que sunt improba et eos qui « obediunt, ignominia afficit. »

f. — Cum sibi sellum adduci jubet Dominus notanter meminit ligaminum ejus: *Invenietis asinam ligatam*. Ea enim sunt que maxime animam peccatricem, per asinam intellectam, Deo commendant et ad Deum adducunt, nimirum vincula, calamitates et afflictiones. En superbissimum illum regem Babylonis Nabuchodonosor, quem superbia sua in bruti similitudinem adeo converterit, ut pulsus regno in agro cum feris versaretur, ut meminit Daniel, iv: *Ex omnibus abjectus est et formam ut bos comedit*. Quid plura? Hæc illum poena dignum fecit, ut a Domino susceperetur, Deumque cæli agnosceret. Quis igitur contemnet calamitates? Quis afflictiones parebit, que etiam in peccatoribus divinos oculos trahunt et eos ad Deum perducunt? Sic decorant etiam nocentes afflictiones et ærumnæ que ut plurimum conversioni nostræ et penitentiae cooperantur. Innumera sacre Scripturæ extant testimonia, quibus certificamur, quod tribulationes ad Deum nos ire et recurrere compellant; at hic versiculus Psalmistæ, *Psal. LXXXII, 17: Imple facies eorum ignominiam et quaerent nomen tuum, Domine*, omnium rationum idipsum probantium Achilles est. Quem sic exponit Albertus Magnus: « Ignominia, vilitate, « opprobriis et abiectione cum culpis, quaerent « nomen tuum qui antea quaerere noluerunt. » Accedit Augustinus dicens: « Quaerent nomen tuum « qui suam quaesierunt. » Dionysius Carthusianus hunc textum interpretatur de iis qui in peccatis jam contraxerunt habitum et se converterunt dumtaxat ex timoris instinctu. Post quam expositionem subjungit: « Accipi potest in bono, eritque sensus: « Da Domine, ut in presenti refutentur et contem- « nantur, ac vituperentur, secundum quod pecca- « tores sunt, quatenus ex ipsa sua ignominia cessent « peccare. Quemadmodum enim per adulationem « et laudem falsissimam roboratur peccator in « culpa, ita per ignominiam sibi illatam a malo « retrahitur, dum se ab omnibus argui contactur; « et ita salubriter quaerent nomen tuum Domine, « per penitentiam salutarem et veram compunc- « tionem. Perlinere quippe videtur hæc ad eos, de « quibus in Evangelio scriptum est: *Compelle « intrare.* »

g. — Inquisitione dignum est, cur Dominus, ad equitatem, jumenta quaesierit, quem nunquam equitasse sacra pagina commemorat? Numquid per medium Samaritanos transiens in Galileam phalerato vectus equo, haud lassatur? Aut non potius ex iti-

nere fatigatus, supra fontem residens, quiescit? Igitur in brevi hoc itinere, cur præter morem quaerit adeo humile et abjectum vehiculum, qualis asina et pullus erant, que stolidia animalia ad tante gloriæ et triumphus diem nihil conferbant? « Christi « actio, » ait S. Gregorius, « nostra est instructio. » Asina ergo illa, ut sentiunt S. Hieronymus, Beda, Albertus Magnus, D. Bonaventura, natura erat humana, alligata peccati vinculo, cum qua congrue pullus describitur; nam cum anima alligata est peccato, nisi per penitentiam resurgat, statim plurimorum est foecunda, multaque alia edit ac parit. Et vero hanc peccatorum multipliciter, severam esse vindicis justitiæ divinæ supplicium, ex quadam S. Gregorii expositione facile colligitur. Hic enim explicans verba illa: *Viam fecit ire suæ*, ita scribit: « Cor quippe Dominus prioribus meritis « aggravatum, justè permittit etiam subsequen- « tibus malignorum spirituum persuasionibus falli, « quod cum digne in culpa trahitur, reatus ejus in « poena cumulat; unde et ire suæ Dominus viam « de semita fecisse perhibetur, latior enim est via, « quam semita; ex semita vero ire suæ viam facere, « est ire causas districte judicando dilatare, ut, qui « illuminati agere recte noluerunt, justè cæciti « adhuc faciant, unde amplius puniri mereantur. » Ecclesiasticus, iii, 29, ait: *Peccator adjiciet ad peccandum*; hisque verbis quamdam nobis manifestat veritatem, continua impiorum experientia comprobata; hi enim postquam timorem Dei deposuerunt, in cujusvis peccati barathrum sese precipites agunt. Græcus textus legit: *Peccator addet peccata super peccata.* « De minoribus corruet « ad majora, » inquit Dionysius Carthusianus, « scandalizabitque proximos et tandem sic excecatur, ut gloriatur, cum malefecerit, vel excuset se, se false, ac in pessimam consuetudinem rual, ita « ut vitia sua, quamvis enormia, parum aut nil « ponderet. Peccatum namque quod per peniten- « tiam non deletur, suo more pondere trahit ad « aliud; ideo quanto quis frequentius ac gravius « Deum offendit, tanto plus meretur relinquere ab « eo; at justè relictus cadit assidue gravius. » Hanc eandem doctrinam B. Laurentius Justinianus exemplificat in S. Petro Christum turpiter abnegante: « Prius quippe Christum simpliciter negavit dicens: « *Mulier, non sum.* Deinde ex priore delicto effectus « debiliior, cum juramento veritatem se nescire « fatetur. Postremo tanquam sine resurrectionis « spe mortuus, anathematizatione Dei Filium sper- « nit et abicit. De similibus ait Propheta: *Væ qui « trahitis iniquitatem in funiculis vinitatis et quasi « vineculum plaustræ peccatorum.* »

h. — Moraliter communi sanctorum Patrum sententia, per asinam alligatam intelligitur peccator, juxta illud, *Prov., v, 22: Impius funibus peccatorum suorum constringitur*. Ministerio ergo sacerdotum a

VERSUS 3.

Et si quis aliquid vobis dixerit, dicite: Quia Dominus his opus habet, et confestim dimittet eos.

Et si quis aliquid vobis dixerit.

1. — Quia Apostoli viles, abjecti, pauperes et nudi Galilæa piscatores erant, verisimile est quod horum jumentorum domini, illa sine licentia et permissione sua abduci videntes se opposituri, eosque furto eripendos sibi arbitrari fuissent; ac prout discretus Magister noster Christus hanc oppositionem prævidens, illis quid facere, aut dicere isdem dominis debent prescribere voluit. Divus Chrysostomus se prompta ipsorum obedientia hanc pro vobis instructionem deducit: « Hinc discipulos « docet, quicquid ipse peteret, etiam animam « dare juberet, absque ulla controversia esse pare- « dum; nam si cesserunt ignoti, quid discipuli fa- « cere deberent? » Lucas Brugenis verba illa: *Si quis vobis dixerit*, ita glossat: « Id est, contradixerit « quare solvatis, qua auctoritate id faciatis, quo « veltis abducere et quid agere, vel aliquid hujus- « modi. »

Dicite: Quia Dominus his opus habet.

2. — Sciendum est, quod prout ex textu S. Lucae clare satis colligitur, quod pullus iste ad plures dominos pertinuerit; dicit enim S. Lucas, xix, 33: *Solentibus autem pullum, dixerunt domini ejus ad illos: Quid solvatis pullum? et illi dixerunt: Quia Dominus eum necessarium habet.*

3. — Et ideo S. Bonaventura, in *Lac.*, dicit: « Phruse domini dicitur, quia secundum veritatem « historie, tam asina quam pullus dicitur fuisse « lotius castelli, quo utebantur pauperes ad affe- « rendam aquam. » Dionysius Carthusianus ait: « Forte audierunt Jesum Nazarenum illic venire. « Experientia enim demonstrat quod pauperes prop- « tiores et faciliores sint quam divites, ad hoc ut pro- « priis se destituant commoditatibus, ut aliis et maxime « religiosi, subvenire possint, utpote qui viscera ad « compassionem prioria habent. Lucas Brugenis inquit: « Dominus propter nos pauper factus, cum « dives esset, quid mirum igitur, si pauperes ex « motivo gratitudinis per reciproam benevolen- « tiam se suis rebus spoliavit? »

4. — S. Bonaventura ait: « Ex hoc apparet vir- « tus divini præcepti, quia nec amplius quaesierunt, « nec restiterunt. » S. Ambrosius considerat, quod hi discipuli auctoritate sua nullatenus usi fuerint, neque animalia ista violenter abduxerint: « Num- « quid suis viribus usi sunt; minime, sed dixerunt, « sicut dixerat illis Jesus, ut agnoscas, quod non « suo sermone, sed Dei verbo; nec proprio, sed « Christi nomine fidem populis infundere Genili-

peccatis absolvendus est, ut ad Christum veniat; hoc enim est officium sacerdotum; unde imperteriti, se pro animarum salute exponere debent. S. Paulus Apostolus, in persona Timothei omnes Ecclesiasticos docere voluit quod videlicet, ratione ministerii sacri ad laborandum destinati sint, non vero ad deliciandum. Et ideo inquit, II *Epis.*, iv, 5: *In omnibus labora*. Ubi S. Thomas ait: « *Labora*, et hoc « in omnibus, et in omni genere hominum. » Ecclesiastici enim sine illo personarum discrimine indefessi esse debent, cooperando tam ad salutem, et profectum animæ alicujus pauperis, et servi, quam divitis, aut principis, adducitque illum textum Isaie, xxxii: *Beati, qui seminastis super omnes aquas.*

i. — Insedit Dominus super pullum asinæ; *super quem nemo adhuc hominum*; ac proinde ferox et indomitus erat. Unde ergo habuit mansuetudinem, ut quieto ac sereno gradu incederet? « Christus, » ait Abulensis, « hoc ei aufert, faciens illum man- « suetum, ac si semper assuetus esset oneribus « ferendis. » Pullus indomitus ac effrenis erat; ubi vero super eum insedit Jesus, miro modo mansuescit. Accessus enim ad Jesum omnem naturæ ferocitatem expellit, maxime in venerabili Sacramento, quod est unionis et pacis symbolum.

j. — Diligenter observandum est quod non solum discipulis duobus, quod jumenta subito inventuri essent, prædixerit Dominus, verum etiam quod animalia illa illis confestim paritura, nequam vero recalcitratura essent. At vero fideles, qui quotidie protestantur, petuntque ut Dei in ipsis voluntas adimpleatur: *Fiat voluntas tua sicut in celo et in terra*, quam sunt Deo rebelles et contumaces? Quanta erit hominis confusio et erubescencia videre ante oculos suos, quod homines moribus barbari, legibus nihilominus arduis, gravibus et difficilibus prompte obediant; quod item creaturæ insensatae et animalia irrationabilia, instinctibus a Deo sibi inditis exalessime parent, nec unquam transgrediantur; ipse tamen in magnum suum præjudicium, communicis Creatoris contemptum Deo rebellis existat? « Mirum est, » inquit S. Bonaventura, « quod dignatur homo Deo servire in « Prælo et non dignatur servire uni homini « libero, aut alicui alteri creaturæ vilissimæ. » Porro suam in omnibus voluntatem facere, ut S. Anselmus ait, ad solum Deum spectat; quidquid enim Deus vult, necessum est, ut sua propria voluntate velit, cum aliam voluntatem se superiorem, a qua dirigitur, aut cui se subjicit, habere nequeat. Ideo quotiescumque homo voluntatem suam propriam facere arroganter præsumit Dei jurisdictionem usurpat, cui soli proprium est non habere ab aliis dependentiam.

« bus, atque adversarie potestates, quæ sibi nationum obsequia vendicabant, mandato cessare divino. »

5. — Dionysius Carthusianus hoc loco quærit, quo sensu domini horum jumentorum hanc dictionem, Dominus, intellexerint, et respondet: « Dicendum opinor, quod Apostoli Christi ex habitu, vel ex aliis signis facile cognoscebantur esse discipuli Jesu. De Jesu quoque tunc rumor fuit, quod ipse esset Christus; ideoque custodes cognoscentes quod essent discipuli Jesu, per Dominum intellexerunt Jesum; » pauperes enim multo magis Christo per devotionem adhaerebant, quam Scribae, Pharisei, Sacerdotes et Principes, qui potius fatali odio Christum probequebantur ad mortem.

6. — Considerandum est etiam, quod Salvator noster non obstante dominio, quod tanquam Dominus in omnes obtinebat creaturas, sua tamen auctoritate hoc loco illi noluerit. Jansenius ait: « Notandum Apostolos non esse jussos dicere: Dominus noster his opus habet, sed absolute, Dominus, quo significavit divinitatem et supremum in omnes homines et creaturas, dominium, cui cedere omnes sum debent dominium. Non aufertur vult invidis jumenta, » inquit Lucas Brugenis, « quamvis omnium esset Dominus, sed a domini simul et necessitas ratione adducta persuaderi, ut permittant abduci. » Per quod, ut Didacus Stella notat, Principes et Magnates docere voluit, quod sua, quam in subditos habent, potestate, nunquam violenter uti debeant, substantiis ipsorum eos privando; sed quod proponenda sint illis gravamina, quæ imponere volunt, rationes et cause, efficiendo ut utilitatis et necessitatis publicæ capaces evadant.

7. — « Sed cur humilis Jesus, » inquit Dionysius Carthusianus, « seipsum tam sublimi nomine exprimit, quod Deo est proprium, sicut per Isaiam testatur: *Ego Dominus, hoc est nomen meum?* » Respondet autem, quod illa die specialiter se Deum et summæ, imo infinite majestatis Dominum exhibere voluerit: « Hoc die voluit majestatem suam verbis et factis suis ac aliorum multipliciter declarare. »

8. — Albertus Magnus verbum *Dominus* ponderans, illud cum verbis sequentibus: *Opus habet, confert et dicit*: « Mirum videtur, si Dominus universorum venturus in gloria, indigentiam dicatur habere asini pauperum et si allegabitur a discipulis, vix alicui credibile erit? » Respondet autem multipliciter; inter cætera autem adducit illam Plinii auctoritatem in Panegyrico Trajani dicentis:

« Cui nihil ad augendum fastigium supererat, hoc uno modo crescere potest, si se submittat. » Sic Christus asino opus habebat, sed quam opus putas fine? ad se humiliandum. Unde Paulus de Palatio ait: « Num ille, qui sedet super Cherubim, eget asello? An non currus Dei decem millibus multi-

plex? Dominus in eis in Sina, in sancto, eget asello? Certe qui prius equitabat Cherubim et cujus currus tot currus, ut videretur terribilis, auferebat spiritum Principum, nunc eget asello, ut humilis videatur et mansuetus. »

9. — Didacus Stella verissimam esse fatetur illam Psalmistæ, *Psal. xv, 2*, propositionem: *Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non egesset*; at vero subiungit: « Sed ut bona sua creatoris communicaret, necessitatem pati voluit; unde Paulus Corinthiis ait: *Scitis enim gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter nos egenus factus, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis.* » Albertus Magnus dicit in eo fuisse divitias honorum spiritualium, temporalium vero bonorum paupertatem: « Sed Dominus dives in spiritualibus, *1 ad Cor., 1, 5: In omnibus divites facti estis in illo*: pauper autem in temporalibus et erat notæ paupertatis, propter hoc recipiebatur verbum discipulorum. »

10. — Responderi quoque potest, Christum in hisce jumentis prenatas peccatores: *Comparatus est jumentis insipientibus.* Et quidem certo quodam modo dici potest, quod Dominus hisce indiget, ut in illis pietas et misericordia ejus elucescat. Hugo Cardinalis super illa verba: *Dives in misericordia*, ita scribit: « Sicut dicitur, iste homo habet magnum thesaurum et misericordia Dei est quasi infinitus thesaurus. Unde, *Matth., xxi, 3: Dicit, quia Dominus his opus habet.* Per asinum et pulum peccatores significantur, quibus videtur Deus indigere ad hoc, quod expendat thesaurum misericordie suæ? sicut dicitur de aliquo, qui habet magnum thesaurum et filium prodigum: ille indigebat tali filio, aliter nunquam expenderetur thesaurus ejus. » Ex quo enim Filius Dei de celo in terram descenderat, ut cælestis Jerosolymæ ruinas restauraret, consequenter necessario peccatoribus opus habebat, *Luc., iii, 8: Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abraham.* Urbs beata Jerusalem construitur in cælis vivis ex lapidibus; ac proinde S. Anselmus, in *Matth.,* ait: « Præcipitur Apostolis et Doctoribus aliis, ut si quid adversitatis obtulerit, si quis peccatores a laqueo aditus, ut solus prohibuerit et per confessionem adducit a Domino, non tantum predicare desistant, sed constanter insinuent, quia Dominus ad ædificandam Ecclesiam suam talibus opus habet. » Hugo Cardinalis verba illa: *Dominus his opus habet*, ita exponit, ut sensus sit: « Peccatoribus opus, ut impleantur sedes paradisi. »

11. — S. Bonaventura prædicta Psalmistæ verba: *Bonorum meorum non egesset*, adducens mox subiungit: « Et tamen desiderat operam nostræ salutis, ad hoc autem ut Deus salutem nostram operetur, nostra pariter cooperatione simul opus habet. » Unde S. Thomas ait: « Dico quod non

indiget, nisi ad nostram necessitatem et suam gloriam. » Advertendum quoque est, quod in S. Luca ita habeatur scriptum: *Dominus operam ejus desiderat.* Albertus Magnus ait: « Magis ad mysterium, quam ad vehiculum; semper enim Dominus desiderat animarum salutem. Hinc Deus voluntati concurrens in desideria, dicit David, *Psal. lxxxi, 23: Ut jumentum factus sum apud te et ego semper tecum*; desiderat enim jumentum esse Domini, ut sit sanctum. »

Et confestim dimittit eos.

12. — D. Chrysostomus hoc loco, *Hom. lxxvii in Matth.*, quærit: « Quis enim illis persuasit, cum res ipsorum auferentur, præsertim pauperibus, ac æne Lucas agricolis, nullo modo adversari. »

13. — Lucas Brugenis ait: « Sinet a vobis adduci mea daeducta occulta virtute, ut res absentes fuerunt Jesu conspectæ; ita et futuri rerum eventus prævisi et cogniti, adeoque imperio ejus, ubi voluit, cesserunt, omnia, etiam hominum corda, quæ potuit, quo voluit, flectere, cum omni scientia; itaque suam hic declaravit omnipotentiam et supremum in omnes dominium. »

14. — Idem quoque Chrysostomus acute observat, quod Dominus non jussisset ut discipuli sui dominis jumentorum dicerent, quod illos remissuri essent: « Non dixit: Et iterum remittet eos ad te, et ne mysterium præcederet rationem; nam pulum in primis homines non sermone nudo vocavit Apostolorum, sed per virtutem Spiritus Sancti solvit pariter et adduxit; postquam autem adduxit, iterum dimisit eos in arbitrio, ut labore suo, comitante gratia, justificentur, nam quod vocati sumus, Dei est; quod autem indigne post vocationem vivimus, nostrum pariter est et Dei. » Hoc est quod ait: *Iterum remittet eos*, non ad diabolum, qui prius tenebat eos; sed in arbitrio suo, adjuvante gratie scilicet dono. »

Additiones.

a. — *Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite: Quia Dominus, etc.* Quæstio hic exurgit quomodo Dominus de quo Psalmista ait: *Bonorum meorum non indiget*, nec discipulis suis mandat dicere quod illis opus habeat. Deus quidem nullius rei indigens est, sed lamem, quodam modo, indigentia eget humana, ut multum dives in sua misericordia habeatur, ac manifestetur. Si enim hominum infirmitas, imbecillitas, miseria ac paupertas defuissent, beneficia Dei largitas vacare putaretur occasione ad superfluentem suam misericordiam effundendam, ac declarandam. Unde in misericordia Dei, ejus gloria, divinitas, omnipotentia maxime relucet. S. Paulus ad Romanos, *ii, 23*, ait: *Omnēs peccaverunt et egent gloria Dei*, id est, gratia, indulgentia

et culturam remissione, quæ quidem est pietatis divinæ effectus. Unde Lyranus jam dicta Apostoli verba ita exponit: « *Egent gloria Dei*, id est, indigentia et venia peccatorum. »

b. — Redemptor noster per medium Jerosolymam ingenti cum pompa et populi acclamantis festivo applausu, velut rex equitare, atque a civibus Jerosolymitanis, cum olivis et palmis et extensis per terram vestibus, excipi voluit, et quidem ea die non elephantem, vel generosum quemdam equum, sed vile jumentum sibi elegit. Quod vero vel maxime in admirationem me rapit, est quod Christus Apostolis suis præcepit dicens: *Ne in castellum quod contra vos est, et statim invenietis asinum alligatum, et pullum cum ea; solvite et adducite mihi. Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet.* At vero, nunquid verissima est ista Psalmistæ propositio: *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non egesset*. Quomodo igitur Filius Dei se jumento hoc opus habere dicit? Dionysius Carthusianus insuper valde miratur quod humillimum Salvator in hac occasione tam specioso Domini titulo se appellavit. Unde quærit: Sed cur humilis Jesus se ipsum tam sublimi nomine exprimit, quod Deo est proprium, sicut per Isaiam testatur: *Ego Dominus; hoc est nomen meum?* Albertus Magnus circa idem nomen, *Dominus*, aliam instituit considerationem dicens: « Mirum videtur si Dominus universorum, venturus in gloriam, indigentiam dicatur habere asini. » Pro harum difficultatum resolutione, quia omnia in figura contingebant, utique ad mysterium oportet recurrere. Per jumenta igitur peccatores intelliguntur, qui soluti sunt, divina misericordia mediante, a peccatorum suorum funibus, ut iis insidere possit Deus. Unde S. Apostolus nos hortabatur: *Glorificate et portate Deum in corpore vestro.* Etenim una illarum virtutum per quas præ reliquis Deus vel maxime glorificatur, est misericordie illius; hæc autem opus habet peccatoribus, eorumque miseriis. Si enim neminem haberet, cui condonaret, occasione quoque careret, unde triumpharet.

c. — Hugo Cardinalis super illa verba Apostoli: *Dives in misericordia*, ita scribit: « Sicut dicitur, iste homo habet magnum thesaurum; sic et misericordia Dei est quasi infinitus thesaurus. » Unde, *Matth., xxi: Dicit quia Dominus his opus habet.* Per asinum et pullum peccatores significantur quibus videtur Deus indigere, ad hoc quod expendat thesaurum misericordie suæ. Cum igitur Apostoli denotent Confessarios, qui per absolutionem sacramentalem peccatores a peccati vinculis solvant, merito illis dicit: *His opus habet*, quia Ecclesia triumphans opus habet peccatoribus conversis. Unde S. Anselmus inquit: « Præcipitur Apostolis ut si quis peccatores a laqueo diaboli

« solvi prohibuerit, et per confessionem adduci « Domino, non tantum prædicare non desistant, « sed constanter insinuent, quia Dominus ad ædificandam Ecclesiam suam, talibus opus habet. » Hugo Cardinalis similiter inquit : « Opus habet « peccatoribus ut implentur sedes. » Idem quoque S. Thomas confirmat inquis : « Dico quod non indiget, nisi ad nostram necessitatem et suam gloriam. »

d. — D. Bonaventura, illa Psalmiste verba : *Bonorum meorum non indiges*, adducens, mox subiungit : « Et tamen desiderat operam nostræ salutis; ad hoc autem, ut Deus salutem nostram « operetur, nostra pariter simul cooperatione opus « habet. » Deus enim licet abundanter in peccatoribus suam exerceat misericordiam, tamen cooperantem et correspondentem in peccatoribus requirit emendationem et penitentiam. Deus Jonam Prophetam ad Ninivem allegarat, ut ultimum urbi illi, intra quadraginta dies subsecutorum inimare exterminium. Propheta autem, ne divina flecteretur misericordia per penitentiam permesces, contra divinum præceptum aliam inivit viam suæ consulationis famæ, ne scilicet Propheta falsus haberetur, si suam Deus mutaret sententiam, quemadmodum et accidit. Deus namque per austeram Ninivitarum penitentiam placatus fuit, dicente Scriptura : *Et vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala et misertus est Deus, etc.* Et diu ante ipsum protestatus fuerat Joel Propheta, qui de Deo nostro loquens, præsquam miserationes ejus in hæc verba deprædicaret : *Bonignus et misericors est, patiens et multæ misericordiæ et præstabilis super malitiam.* Immediato ante, suos ita fuerat exhortatus auditores : *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejuniis, et in fletu, et in planctu, et scindite corda vestra et convertimini ad Dominum Deum vestrum.* Quam obligationem S. Gregorius omnibus nobis ob oculos ponit dum inquit : « Sed quia nullum « peccatum Dominus in nullum relaxat, aut enim « nos hoc flendo insequimur, aut ipse judicando « reservat, restat, ut ad emendationem stam sensu « per mens solerter invigilet. In quo ergo sibi « quisque misericorditer subveniri desiderat, hoc « necesse est, ut confitens tergat. »

e. — Nolante dicitur : *Et confestum dimittet eos.* Nam non solum misericordia in egenos Deo maxime probatur ex virtutis ipsius pulchritudine, sed etiam ex celeritate. Etenim ideo dicitur ipse cum egenis egere et cum laborantibus laborare, ut quamprimum optet sublevare, quando quidem ait : *Dicite quia Dominus his opus habet, et confestum dimittet eos.* Quis indigenti Domino opem ferre non festinavit? Quis laboranti Domino auxilium quamprimum negavit? Plane ut ait S. Casarius Arelatensis, *Hom. xv.* : « Hoc ipsum quod Christus in pauperibus esurit, nobis proficit. » Proficit, inquam,

quia celerrimos auxiliares et excitavit, et maneravit. Unde Christum in persona miserabilium agnosce et citus eris ad misericordiam exhibendam. S. Cyprinus ait : Quid potuit nobis majus « Christus edicere, quomodo potuit magis justitiam ac « misericordiam nostræ operam provocare, quam « quod præstari id sibi dixit, quicquid egeni « præstatur? » Quando laudare vult opera misericordie, se nobis presentat in throno Majestatis suæ positum et obsequiosis Angelorum phalangebus undequaque cinctum, nudumque se, præ frigore tremulum, famelicum, captivum et infirmum se fingit : *Cum sedebit super sedem majestatis suæ. Cum venerit in majestate suæ et omnes Angeli eorum cum eo.* Textus licet longum quemdam multorum virtuosorum, perfectorum et heroicorum et excelsi meriti operum catalogum, ex his tamen nullum invenietis, quod Filius Dei sibi in persona propria exhibitum fuisse delectet, præterquam opera misericordie. Hæc enim dum miserabilibus exhibentur, Christus sibi eadem in persona exhibitæ proficitur.

f. — Non dubitat Christus Dominus se indignum et egenum appellare et ostendere, ubi citato cursu et festino obsequio sperat ab homine subveniri. *Dicite*, ait, *quia Dominus his opus habet.* Cur te indigentem jubet prædicari, o Christe, cum sis Dominus omnium? Decetne Dominum, egenorum de more, divitum fores pulsare? Sed vide quo præmio Deus emendat. *Confestum dimittit eos* : ubi celsissimos videt auxiliares, ubi homines novit absque mora, egenos et indigentes sublevare, ipse Dominus gaudet egere et laborare, et ostiatim mendicare. Ecce tibi Dominus ad Sponsæ ostium pulsantem et clamantem : *Aperi mihi, soror mea, columba mea, formosa mea, quia caput meum plenum est rore, et cincinni mei guttis noctium.* Qualis est hæc causa pulsus ad fores Sponsæ; qualis causa egestatis? Pulchre id docet S. Paulinus, *Epis. iv.* : « Guttis « noctis nostre, crines suos gaudet esse perfusos, « quia ipsius refrigerium et refectio est illa fidelium operatio, qua vel fratres juvantur, vel inopes refoventur. » Hæc sunt gaudia Christi, quod inopes cito adjuventur.

g. — Hæc, mi Christiane, regula tibi sit generalis, mandatorum observantiam, carnisque mortificationem facilem et suavem tibi reddendi, si jugiter consideres quia Dominus ita præcipit; Dominus, inquam, tam amabilis, tantoque amore dignus, quem si redamaveris, hoc solo amore omnia aspera et dura suaviter reddentur.

VERSUS 4.

Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est per Prophetam dicentem.

1. — Lucas Brugensis dicit, incarnatam Sapientiam hoc loco agere voluisse tanquam Dominum et

patronum omnium creaturarum : « Vel ob eam « causam, ut futuris occurreret suspicionibus, ne « de industria negotium istud confixisse videri posset, quod Zachariæ prophetiam sibi accommodaret, « facile enim evasis sit animam invenire, qua equi « tel, urhemque ingrediatur. »

2. — Hugo Cardinalis Evangelistam hanc prophetiam ideo in medium adduxisse dicit, ut intelligeremus Christum hinc jumentis non in aliquod itineris sublevamen usum fuisse, sed propter mysterium : « Non propter equitandi voluptatem, sed « propter mysterii significationem. » Id quod Cajetanus pariter confirmat, dum ait : « Ne putares « sublevandi laboris in itinere, aut attendendæ « alicujus novitatis causa misisse Jesum pro asina « et pullo; curavit Evangelistam rationem interesse facti, ut Jesus impletur Scripturas Prophetarum. »

VERSUS 5.

Dicite filie Sion : Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam et pullum filium subjugalis.

Dicite filie Sion.

1. — In Isaia, *LXII, 31*, prædicium fuerat : *Dicite filie Sion : Ecce Salvator tuus venit, ecce merces ejus cum eo; Christus namque hoc die venit, ut humane redemptionis mercedem et pretium exsolveret, expressus autem Zacharias, ix, 9, ait : Exulta satis filia Sion; Juba filia Jerusalem; ecce Rex tuus venit tibi justus, et Salvator, ipse pauper, et ascendens super asinam, et super pullum filium asinae.* Paulus de Palatio ad eam se reflectit lætitiæ, ad quam duo hi Prophete Jerosolymam hodie invitaverunt, dicit enim : « Expende cur jubeat Mattheus « et prius Zacharias et Isaia, ut Sion exulset et « exulset satis, cum Rex super asinam venit, quænam tantæ causæ lætitiæ, quod venit pauper? « an non gaudendum esset magis, si venisset « dives? quod si gaudendum, quia mansuetus venit, « cur jubet gaudere, quod super asinam veniat « sedens? video enim gaudendum esse, quod pauper veniat, ut ejus inopia nos divites simus, ac si « omnia nobis bona communicasset, nihil sibi « relinquens; video gaudendum, quia venit pauper, docet enim suam inopiam meliorem esse, « quam copiam, videlicet, quia cælum inopia mercandum potius quam copia. »

Ecce Rex.

2. — Guericus Abbas devotarum harum turbarum ardentem admiratorum fidem; qua Christum tanquam Regem et Messiam suum agnoverunt et susceperunt, licet pauperimus vilissimo eundem jumento, eique non suo insederet : « Sed nimirum « intelligebat super egenum et pauperem, quippe

« cui Propheta signum dederat intelligi Salvatoris « rem ipsum, qua superbis viluit, paupertatem; « ipse, inquit, pauper et ascendens super asinam, « hoc signo poteris venientem agnoscere Regem « tuum, quia ad debellandum superbiam, qua « regnat in mundo, paupertatem seu humilitatem « evangelizabat. »

3. — Christus Salvator noster ad suam se præparabat passionem, ac proinde turbas illas, quæ eadem septimana illum in crucem acturæ, hæcque inscriptionem : *Jesus Nazarenus Rex Judæorum*, capiti ipsius superimposituræ erant, ut ipsum tanquam Regem salutarerent et exciperent, non respuit, sed humaniter invitavit. In libris Judicum, *ix, 15*, legitur quod arbores inter se de Rege sibi eligendo consularint; inter quos oliva, ficus et vitis sceptrum sibi oblatum acceptare voluerunt; rhamnus vero libenter admisit; enimvero Redemptor noster, de quo divinum inquit oraculum, *Psal. II, 6* : *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus*; Rex proclamari et tanquam talem se variis in occasionibus exhibere potuit, id tamen facere noluit, donec tempus illud appropinquaret, in quo loco aurei gemmisque distincti diadematis, tempora illius spinea cingerentur corona et vice sceptri arundo vel clavi manibus ejus insererentur; tunc enim trita quadam læcæque purpura per ludibrium amictus, Regis titulum sibi passus est acclamari.

4. — S. Bernardus hujus diei triumphum cum illa conferti repulsæ, qua regnum sibi sponte ab Hebræis oblatum constanti prorsus animo repudiavit : « Sane, » inquit, « venturas aliquando turbas, « ut raperet et eum Regem facerent, fugiens « legitur declinasse; nunc vero etiam non questus « adfuit, ut tanquam Rex Israel susciperetur et « prædicaretur ab eis, quin etiam hæc ipsa præconia « eorum excitavit et hæc quidem præparatio ad « passionem fuit. »

Tuis.

5. — « Non hostis, non alienigena, cui vi vel « dolo, sed Rex tuus, e gente tua, e familia David, « proprius, legitimus, unicus, cui divino jure regnum Israel debetur. » Ita Lucas Brugensis.

6. — Didacus citat illum Deuteronomii textum, in quo implicita fit trium Personarum divinarum mentio, ita tamen, ut secundæ vox *tuis* attribuitur : « *Deus, Deus tuus, Deus tuus est*; positum est, « *tuis*, in secunda Trinitatis persona, nec abs re, « quia Filius Dei naturam assumpsit humanam et « nobis natus et datus, pro nobis mori non dubitavit; » dicitur ulterius, Prophetam non sine mysterio dixisse, *Ecce Rex tuus venit tibi* : « *tuis*, « non potest enim non esse tuus, o homo, ille, qui « corpus, animam, vitam, sanguinem, se denique « totum tibi dedit. Merito igitur ille *Deus, tuus* dicitur